



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

V. Iacob, Sadolet. Card. Mario Maffæo Cauallicensi Episc. S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

dehinc accepi literas, & simul alteras ad Paulum Gratie nomine legi. Gratulatio vestra optimi animi index mihi pergrata est. Vtinam ego talem me prestare possim, qualem vos describitis. Conabor quidem certè: & si aliud nihil, egregiam vitæ voluntatem ad Christianam Remp. afferam: cuius salus atque amplioris semper erit mihi mea vita charior. Vobis autem duobus hoc nunc habeo quod pollicear ac spondeam, vos neque constantiam in benevolentia erga vos mea, neque in amicitia fidem esse desideraturos. Sicuti quidem & virtus vestra, & mea vitæ perpetua consuetudo à me postulat. Iterum ac sæpius valete. Romæ.

V.

IACOB. SADOLET. CARD. MARIO MAF-
seo Casallicensi Episc. S. P. D.

Est nihil adhuc abs te ad meas priores literas erat responsum, quibus ita flagitabam adferum tuum, ut nihil fieri posset ardentius: tamen cum postea fato nescio quo, aut ne fato quidem, sed optimi ac præstantissimi Pontificis nimis beneuola erga me voluntate, ignarus, & incogitans, in sacræ ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatus essem, non duxi prætermittendum, quin ad te literas hæc ipsa de re darem: quanquam eram, quod te intelligere puto, maximis curis occupationibusque distentus. Sed tamen amor meus erga te, & officii ratio, eius quod nostræ amicitie debitum est, nullo impedimento teneri potuit, quin communicare tecum hoc quicquid esset, siue gratulandum id sit, siue non gratulandum, ut ambo id vnâ communiterque faceremus. Non enim quicquam a te seiunctum mihi esse potest: nec tu aliena tibi ea, que mihi accidunt, debes existimare. Sed cum iam diu inuimus inter nos amor animos nostros in vnum quodam modo conuerserit, debet uterque nostrum in altero semetipsum æstimare & pendere. Ergo si ornator ego hoc honore factus sum, quam antea, horum mihi ornamentorum pars æqua tecum est: si minus ornatus, minorisque, faciendus, (nam certè liber minus, & minus beatus redditus sum) tu leuare debes onus nostrum, æqua oneris parte mecum subeunda. Sed quoniam res impræsentia ad iudicandum difficilis est, egerque disceptatione maiore & tempore, illud vitæ scire interim te volo, si te præsentem hic habuerim, maximas partes lætitiæ & hilaritatis mihi fore restituras. Nā & certè in cuius amore consiliisque requiescam: & nulla tam graui cura sollicitudineque opprimar, quam aspectus tuus, & familiaris sermo noster non continuè tollat, atque auferat. Tu ut va-

P 5 letudini

Ierudini tuæ seruias, mi suauissime Mari, & te huc aliquando conferre mea causa animum inducas, vehementer a te peto. Vale.
Non. Ian. M.D. XXXVII.

VI.

IAC. S ADOL. S. R. E. CARD. ANDREAE
Gritto Duci Venetor. S. P. D.

CVm accepissem Amplitudinis tuæ literas, & Laurentii Bolognani, hominis virtute & sapientia ornati, legati vestri verba audissem, qui suo sermone egregie sublocutus est grauitatem earundem literarum: equidem non mediocriter sum laetatus, potest fieri iudicium de me abs te, & ab isto ampliffimo natu, in quo vestigia antiquæ dignitatis atque autoritatis residerent intelligi, ut me quoque non inutilem ministrum ad subueniendum Christianæ Reipublicæ esse existimetis. Verum ista lætitia affert profectum fecum maiorem etiam sollicitudinem. Magis enim video mihi laborandum esse, ut iudicio vestro respondeam, quam lætandum, quod sic de me vos iudicetis. Quod si recta administratio huius honoris ac muneris, quod mihi nullo meo merito, sed quadam bonitate præparentis Dei suscitantis de terra inopem, & de limbo pauperem erigentis, delatum est, à me ipso mihi speranda atque expectanda esset, diffiderem profectò, à vobis quoque peterem, veritatem de me opinionem haberetis. Quid enim ego sum, si peccator memetipsum aestimer, nisi plebis abiectio? Sed quoniam ad clementissimum Deum toto animo conuersus, illius vniuersæ & benignitati confido, & opem expeto: cupio quoque illi, quamquam peccator oppressus, studio tamen bonæ voluntatis inferuire: spe teneor posse me diuino auxilio fretum, aliquando & Reipublicæ afflicte, & honorum de me expectationibus aliqua ex parte satisfacere. Prefertim cum hæc noua atque inaudita multis iam penitus seculis summi pontificis Pauli tertii bonitas ac sapientia, & collegarum meorum præstantissimorum hominum, virtus ac religio, animi meum excitet atque erudiat: quorum ego vestigiis consecranda virtutibusque imitandis, errare minime poterò. Quare in hoc mihi nouum vitæ genus hoc animo sum ingressus. Primum, ut Deo omnipotenti, eiusque sanctæ fidei, omni studio, opera, labore, sanguineque deferuiam. Deinde, ut sanctam sedem Apostolicam præsidemque illius Paulum ita meritum de me, ut omnes sancti, quantum in me erit, in omni sua autoritate ac dignitate tueat, atque conferuem. Tertio loco, ut ea agam & mediter, que probis, & doctis, & amantibus mei, possint & honestari esse & commode. Quo in genere gratias amplitudini tuæ agens, quod ad me tam humane & tam amanter scripseris, & tibi & isti amplitudini